

rint vniuersi quod nos religiosis dominabus abbatisse et conuentui sancti-
 monialium in gudhæm, intuitu et respectu seruicij domicelle Ingiburgis ibi-
 dem conuentualis filie thorstani de fallendæfoors quod nobis inpenderat, Da-
 mus et tradimus tres colonias, quas quondam maritus noster karissimus, domi-
 nus dux. E. [o: Ericus] possederat in quuighebyergh iuxta ampnem sæuæ Damus
 inquam cum domibus, agris, pratis, paschuis siluis, ceterisque earundem perti-
 nenciis intra sepes et extra pleno iure inperpetuum possidendas ablata nobis
 nostrisque heredibus omni facultate predictas colonias vlllo vmquam adinuen-
 tionis ingenio reuocandi, In cuius rei testimonium sigillum nostrum presen-
 tibus est appensum Datum wardbbyergh Anno domini Millesimo. trescente-
 simo vicesimo Die sanctorum Crispini et Crispiani.

Sigillet bortfallet, remsan qvar.

2265.

1320 d. 7 Nov.

Stockholm.

Abbedissan GERTRUD, RIKISSA och öfriga nunnorna i St. Clara kloster i Stockholm stadfästa
 den rå- och rörläggning, som Mathias Kettilmundsson m. fl. på begäran verkställt mellan deras klo-
 sters och Minoriterbrödernas område vid de sednares tegelugn på Norrmalm, m. m.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Vniuersis presentes litteras inspecturis, Soror GERTHRUDIS Abbatissa, so-
 ror rýkiza Ceterique Sorores ordinis sancte Clare apud, stokholm salutem
 in domino sempiternam, Cum illustrissimus princeps, Dominus magnus felicis
 memorie sweorum gothorumque rex magnificus Conuentui fratrum minorum
 in stokholm pro structura ecclesie et claustrum eorum domos latericias ad
 plagam borealem dictam Nørremalm prope stokholm situatas perpetuo contu-
 lerit, ac tantum de circumiacente territorio pro argilla et arena fodiendis,
 quantum personaliter distinxerat assignando fratribus illas domos, et de
 metis certisque limitibus, huius territorii dictis fratribus legati in suis pa-
 tentibus litteris super predicta donacione confectis expressam non fecerit
 mencionem, Inter nos in parte vna ac inter fratres Conuentus supradicti in
 parte altera de finibus huius territorii sic legati, cum hoc nobis sit vici-
 num mota fuit questio ac mencio aliqualis, vnde ad instanciam et peticio-
 nem vtriusque partis, Nobiles domini, Dominus mathyas kætilmundæson,
 Dominus Thurirus kætilson, Dominus petrus lyquidson, Dominus boecius
 niclesson, Dominus Ingualdus estridson, Dominus magnus niclesson, Domi-
 nus ericus Thurirson, Dominus karolus tukæson, per certos limites, ac signa
 durabilia, et legalia vlgariter dicta rør et raa, distinxerunt quid et quan-
 tum de sepe nominato territorio, tam ad plagam aquilonarem quam australem
 vltra fornacem laterum pro argilla fodienda, ac aliis ipsorum fratrum

indigenciis, predicto conuentui libere ac perpetuo attinere debeat, vbi nulli in posterum argillam fodere, seu cuiuscumque generis sementum seminare liceat absque ipsorum fratrum beneplacito et assensu, via eciam a fornace laterum, versus litus, prout indicant limites per predictos nobiles dominos, in littore et iuxta litus ad hoc positi sepedictis fratribus maneat semper patens, et fossuram arene ad aquilonem a domo latericia iuxta siluam perpetuo habeant, sine inpeticione, seu inpedimento qualicumque, Nos igitur predictorum nobilium ordinacioni in premissis, presenti protestacione omnimode stare volumus hiis litteris in perpetuum valituris, Ne autem predictorum nobilium ordinacio apud posteros obliuionem accipiat ac per hoc noua altercacio de predicto territorio oriatur, presentem paginam sigillo venerabilis patris, domini rangwaldi episcopi aboensis, ac, sigillis supradictorum nobilium, vna cum sigillo fratris hinrici custodis stokholmensis visitatoris nostri, ac sigillo conuentus nostri fecimus communiri, Datum stokholm Anno domini, Millesimo, Trecentesimo, vicesimo, feria sexta post festum omnium sanctorum.

Sigillen: N. 1, Biskop Ragvalds, och N. 11, Konventets, fullständiga; N. 2—4, 6—9 adliga, och N. 10 andligt, mer eller mindre skadade; N. 5 borta, remsan qvar.

2266.

1320 d. 4 Dec.

Fiholm.

Biskop ISRAEL i Westerås anställer en ständig Vicarius vid domkyrkoförsamlingen, som dittills varit ansedd som annex till den prebenda, hvilken Kaniken Filip för närvarande innehar, samt anslår gårdar och andra inkomster till hans underhåll.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Omnibus presentes litteras inspecturis. Frater. ISRAEL. dei gracia Episcopus Arosiensis. salutem in domino sempiternam. Cum ad Arosiensis Ecclesie regimen. diuina fuissemus licet immeriti dispensacione vocati. inter cetera. que correctionis et emendacionis limam. ibidem exposcere videbantur. vnum inuenimus in quo periculum animarum non modicum uertebatur. videlicet. quod cura parochie in Ecclesia katedrali. que quidem parochia prebende quam nunc dominus phillippus arosiensis canonicus possidet, reputabatur annexa. sed ipsius obuenciones et redditus inter canonicos. katedralis ecclesie diuidebantur equaliter. jta tamen quod qui reputabatur curatus. parochie duplam porcionem perciperet racione sui laboris. adeo vacillabat. quod nunc per ipsum canonicum nunc per ipsius vicarium. constitutum in choro. juter dum eciam per diuersos ceterorum canonicorum chorales vicarios. quos ad id nominari contingeret agebatur. Ex qua nimirum varietate ac incertitudine, non solum curam ipsius parochie. negligius procurari. sed et chori officium frequencius minui contigit ac turbari. Nos igitur